

Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 8

Nowo-Łacin. Liter.
937./I

Henrici Nicolai

1. Oratio de Pioteria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS I.

EXERCITATIO VIII.

DE

ASYLLOGISTIA SEU INCONSEQUENTIA ARGUMENTATIVA

ΕΞΕΤΑΣΙΣ POSTERIOR

Materialem inconsequentiam exhibens

Exemplis maximam partem Theologicis illustrata

Ac disputatorij exercitij loco in Gymnasio Gedanensi Proposita

Præside

HENRICO NICOLAI

Philos. Mag. & ejusdem Professore Ordinario

Respondentis vices sustinente

CONSTANTINO KLOEN

Dantiscano Borusso.

Ad diem 30. Januarij S. N.

In Auditorio Philosophorum

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1636.

Koll. 10

I.

ABnuit aliquando *Themistocles*, clarus Græcorum *Imperator, rogatus â Simonide Poëtâ injustam sententiam in negotio pronuntiare, quod nec* se *legitimum Principem futurum diceret, si contra leges judicium pronunciaturus esset; nec* Simonidem *justum Poëtam, si ultra cantionis leges modulamina effecturus esset. Notante* Erasmo l.5. apop. *Negabit prudens* Logicus *de argumentandi ratione postulatus, justi ratiocinantis se occupare titulum posse, si vel præter* formæ *leges argumentum tornaverit: vel legitimæ formæ abeuntem à vero* materiam *impingere præsumpserit. Sed utriusq; adeò sibi habendam rationem esse ducet, ut nec* materia *alienæ formæ spurcetur contagio: nec* formæ *bonitas indebito velut intrusa corpori, deliram molestæ ratiocinationis effingat ineptiam. Expedÿt* prior disquisitio *defectus formæ argumentatricis, ejusq; generales modos assignavit: Videbit* præsens, *Quî materia Logica alienè ad argumentandum se habeat, ejusq; generales quasdam rationes subministrabit.*

2. Materialis inconsequentia *quid sit, dictum* præced. dis. t. 4. *Nempe cum in ipsis terminis & rebus illatis falsa est consequentia, ut ut processus formæ verè se habeat. Solet usitatè hæc inconsequentia doctrina* Elenchi Sophistici *dici, & in eâ proponi. Quidam vocem* Syllogismi Sophistici *ita ampliant, ut & syllogismos vitiosos in formâ sub eo comprehendant, ut notatum* disp. 15. Log: t.12. *Sed hic* pressiùs *sumitur, ut solam inconsequentiam ex materiâ erroneâ*

 proce-

procedentem includat. Asyllogistias formales, *quæ potiùs non Syllogismi vel Syll. æquivocè dicti sunt, præcedens exhibuit discussio. Inconsequentiam hanc materialem* variè *solent* dividere. *Quidam secundum* Locos Topicos *eorumq; numerum eam multiplicant. Vt* Alsted. l. 9. Log. har. c. 2. & l. 24. Encycl. c. 3. 4. Goclen. Append. l. 2. part: dial: Polan: l. 2. Log: p. 221. 222. Dusa l. 2. Lo. Socrat: c. 1. 3. seq: Sonleutner. p: 2. jnstit. Dial: p: 6. 7. 8. seq: Alij *ad pauciora membra species asyllogistiæ Materialis redigunt, ut omnis sit Elenchus* vel dictionis vel rei. Ita Aristotelei *communiter, nec sine ratione. Non debet enim in plura præcepta diffundere disciplina, Cui capiendo methodica paucitas potest sufficere. Quâ de re agendi copiosiùs alibi est locus.* Commodissimè *omnis inconsequentia materialis* vel Syllogismi perfecti *dici potest, quæ in perfectâ figurâ & modo procedat:* vel imperfecti, *quæ in imperfectâ argumentandi formâ, ut Enthymemate, Sorite, Inductione, & similibus.* Perfecti vel *necessarij*, vel *probabilis.* Necessarij, *quæ è materiâ necessariâ apparente procedat:* Topici, *quæ è probabili. Proferemus species inconsequentiæ materialis hoc ordine; & singula suis locis, maximè in applicatione Theologicâ, memorabimus.*

3. *Inconsequentiæ Syll:* materialis necessarij *Modus* I. *est,* cum ex principijs necessarijs apparenter veris proceditur. *Vt: Omnis substantia est immutabilis. Homo est substantia. E. homo est immutabilis.* Maior *sumitur, acsi propria passio prædicaretur de proprio subjecto, cum tamen istud subjectum & particulare sit, & accidentarium. Sic: Om: semicirculi sunt æquales. Semicirculus majoris & minoris circuli sunt semicirculi. E. sunt æquales. Major loquitur de semicirculis ejusdem circuli, & sumitur, acsi esset principium de omnibus semicirculis loquens. Huc pertinet jllud Theologicum*

cum: Om. omnipræsens est infinitum. Humanitas Christi est omnipræsens. E. est infinita. Major sumitur, acsi de omni subjecto, quod est omnipræsens, ut necessaria passio diceretur, infinitum esse. Cum tantùm de eo dicatur, quod per essentiam & naturam sui est omnipræsens. Huc & illud Photinistarum & Iesuitarum pertinet: Qui cibis & potu vtuntur, & liberos generant, naturâ sunt mortales. Adamus in statu integritatis cibis vsus est, & liberos generare debuit. E. naturâ mortalis fuit. Socin. prælect. c.1. n. 1.2. & d. stat. pr. hom. p: 4.5. sequ. Smalc. c. Franc. d. 7. p. 397. seq: Ostorod. c. 33. instit. n. 3. Stegman. in prob. c. 12. p. 146. Catech. Racou. p. 24. Bellarm l. d. gra. pri. ho: c. 9. Becan: p. 1. Th. Sch. tr. 4. c. 4. q: 1. *alijq. Major sumitur acsi nutritio & generatio proximè mortalitatem ut necessariam passionem & requisitum inferrent, quâ & mori aliquid possit, & morti actualiter tandem sit subijciendum. Cum tamen remota tantùm mortalitas inde sit colligenda, quâ mori absolutè quidem aliquid possit, alijs tamen causis accedentibus, non generatione, & cibi potusq; vsurpatione.* Proximè *aliquid est mortale, non quòd generet, cibos, potus vsurpet: sed quod nexum formæ & materiæ vacillantem & solubilem habeat, & cibos potusq; infirmè aut indigestè accipiat. Cibi & potus legitimâ assumptione & concoctione non mors infertur, sed vita perpetua & perennis conservatur. Morbi, tēperamenti acrasia, ciborū indigestæ cocturæ, & similia sunt proximæ mortalitatis in homine causæ, non sobolis procreatio, ciborum assumptio, &c.*

4. *Simile est hoc ab ijsdem objectum: Adamus habuit corpus ex contrariis elementis & humoribus compositum, & animale.* 1. Cor. 15. v. 45. *E. naturâ mortalis fuit.* Becan. Belarm. c. l. Perer. l. 5. in Gen. n. 160. *Vbi etiam principium apparenter necessarium adducitur, quod omne corpus ex elementis compositum & animale statim sit*

mortale. At non *compositio ex elementis,* ut *sic,* sed *lubrica & vacillans elementorum commistio, ac à justâ crasi & temperie dimotio; nec corpus animale, ut tale præcise est,* ein seeliche Leib, *Ut* Ostorod c. I. *reddit, sed ut infirmâ unione ad materiam suam præditum, adeoq; non perpetuò vivificandum ab suâ formâ est, demùm proximam mortalitatem inferunt. Vnio formarum ad materias firma vel infirma, propinqua corruptibilitatis est causa, vel incorruptibilitatis. At vnio formæ ad materiam in Adamo integro fuit fortissima & robustissima, ut quam & ἀφθαρσία illa, in quâ conditus erat,* Sap. 2. v.25. *& similitudo Dei, ad quam formatus erat,* Gen. I. v. 37. c. 5. v. I. *requirebant, & sic perpetuò unione ista vivificandus fuisset, nisi felicitate excidisset. Et hactenus nativâ creationis conditione potius immortalis, quàm propinquè mortalis creatus fuit.*

5. II: Cum transitus de genere in genus committitur, adeoq; fines & modi considerandi disciplinarum confunduntur. *Tactum aliquid de hoc d. 7. t. 21. quatenus semper in his attribuendi modus mutatur, & sic dispositio formæ Syllogisticæ in omni materiâ labefactatur. Sed hic ad materialem inconsequentiam vberiùs est tradendum, quia* ad materialem considerationem pertinet, saltum ab vno considerandi modo ad alium in diversis disciplinis prævavere, *Qui saltus ad materias disciplinarum pertinet, & ex illarum finibus modisq; considerandi est determinandus. Vetuit eum diligenter Aristoteles* l. I. post. anal. c. 7. *Et tùm propriè committitur, cum principium* verum *quidem sed* alienum, *debet demonstrare affectionem de subjecto diverso & opposito. Hoc variè potest contingere.* I. Cum Canon ex objecto vnius disciplinæ transfertur ad aliam, quæ cum isto objecto nihil commune habet, *nec quicquam de eo participat. Vt; Ex nihilo nihil fit. E. nec mundus*

à Deo

à Deo ex nihilo creari potuit. Prius de objecto Physico loquitur: posterius ad actionem divinam concludit, quæ cum isto objecto nihil habet commercij. Sic cum Photiniani *argu-unt: Quot sunt personæ & subsistentiæ, tot sunt subsistentium essentiæ. E. & in divinis secundum tres subsistentias erunt tres essentiæ: sumunt Canonem ab* objecto finito *desumptum, & inferunt ad* objectum infinitum *non comprahensum sub isto. Et ita principium extenditur vltra debitum subiectum, de quo loquitur, & in quo per inductionem omnium particularium, est verum. Omnes enim essentiæ* Physicæ & creatæ *multiplicant sese ad multiplicitatem suppositorum. At de* infinitâ *essentiâ nec loquitur illud principium, nec quomodò in eâ se res præcisè habeat, ex naturâ determinare potest intellectus finitus & naturalis. Conf.* Danhaver. ide. disp. s. 2. §. 95.

6. Excipit Crell. l. 2. d: vn. Deo. s. 1. c. 7. *infinitatem Dei hic nil obstare. Æquè enim personam increatam esse infinitam, ac essentiam, & sic totam essentiam amplecti, non partem ejus. At hanc esse rationem increatis, quod essentia finita non nisi vnam personam constituat, quod persona totam rei essentiam complectatur, non partem: Quæ ratio cum & in divinâ personâ sit, rectè ab finitâ ad infinitam in hoc inferri. Sed hæc non satis stringunt.* Ratio, *Cur vnius essentiæ finitæ non sit nisi vna persona, non solùm est, quod persona totam ejus essentiam complectatur: sed &,* quod essentia illa propter finitatem & coarctationem suam alijs personis identitate sui substare non possit, *quia terminos finitos habet, vltra quos ad alia supposita informanda se porrigere non potest. Vnde si aliæ personæ in finitis esse debent, requiruntur aliæ numero essentiæ, quæ illas informent; illasq́;* reali multiplicatione *ad supposita sua substent. At essentia infinita,* quia infinita est, *i. e. terminos essentiæ & perfectionis non habet, sed in immensum porrigi potest, potest* & tota in vno

suppo-

ſuppoſito eſſe, & eadem numero totalitate & alijs ſuppoſitis ſubſtare, *eaq́ informare, reali identitate, non diverſâ multiplicitate, vt in finitâ eſſentiâ eſſe oportet. Infinita enim omnem perfectionem finitæ comprahendit & tranſcendit, adeoq́* identitate ſui poteſt perficere, quæ eſſentia finita nonniſi multiplicitate poteſt. *Sic infinita efficit ſuâ ipſius eſſentiâ, quæ finita per diverſas & varias potentias eſſentiæ ſuperadditas agere tenetur, Vt oſtenſum* d. 4. t: 9. 13. *Quia eſt virtutis & perfectionis infinitæ & immenſæ, vt finita finitæ & determinatæ. Sic ut aliquali exemplo res illuſtretur,* Ens *totâ ſuâ eſſentia ſubſtat Vni, vt modo ſuo: & eadem numero totâ eſſentiâ ſubſtat etiam vero & bono, non* eſſendi multiplicitate, *quaſi vnum verum, bonum, ſint tria entia*; ſed vnitate, *& identitate, quia vn: ve: bon: ſunt ipſum ens. Eſſentia enim entis ad quemlibet iſtorum modorum eſt indeterminata, non ad vnum præcisè arctata: & ſic & in vno tota eſſe poteſt, & reliquis eadem numero totalitate ſubſtare. Idem per analogiam de eſſentiâ divinâ habendum, etſi* in alijs *adhuc multiplex ſit diſcrimen. Ita* Papiſtæ *extendunt principium aliquod in ſuo genere verum ad incompetens objectum, quando arguunt: Omnis Norma debet eſſe continua. Scriptura non eſt continua. E. non eſt norma credendorum.* Bellar. l. 4. d. V. D. c. 12. *Major eſt principium de normâ* Mathematicâ & quantitativâ, *& extenditur ad normam ſpiritualem. Iudex controverſiarum debet ita decidere, ut altera pars ſciat ſe viciſſe, altera, ſe cecidiſſe. Scriptura non ita decidit controverſias fidei. E. non eſt judex controverſiarum fidei.* Grets. Collo. Ratiſ. p. 293. Becan: tr:d. jud. contr: §. 8. & p. 2. T. 2. Th. ſch. tr. 1. c. 7. n. 8. *Major eſt principium de judice miniſteriali, interpretativo & coactivo: & extenditur ad judicem etiam principalem, normalem & deciſivum. Sic: Nulla relatio juſtificat, Quia relationum non eſt motus.* Ariſt.

5. Phy.

5. Phy. c. 2. §. 10. 18. *Fides est relatio. Ergò. Major est principium de relatione Physicâ & prædicamentali, Minor subsumit relationem transcendentalem & eminentem, & sic ultra debitum objectum extenditur.*

7. 2. Cum termini rebus eminentibus attributi sumuntur cum imperfectione, quam in rebus deficientibus habent. *Vt: Om: verum corpus humanum indiget alimento. Corpus Christi est verum corpus humanum. E. indiget alimento. Terminus Majoris, corpus humanum, sumitur cum adjectâ imperfectione, quam in hac vitâ habet, & applicatur ad rem eminentem, gloriosum corpus Christi. Sic: Om. Corpus humanum est passibile & mortale. Corpora gloriosa in cœlo erunt corpora humana. E. erunt passibilia & mortalia. Om. generatio est de non esse ad esse mutatio. Productio Filij Dei in divinis est generatio. Ergò. &c. Terminus* generationis *sumitur cum imperfectione illâ, quam in rebus terrenis adjectam habet, mutatione τȣ esse, & applicatur ad rem eminentem, generationem divinam. Generatio generaliter est origo viventis substantiæ à vivente. Quod cum mutatione & novitate essendi id fiat in terrenis, imperfectionis est. Sic: si filius Dei est genitus. E. non fuit, antequam gigneretur. Sumitur* imperfectio adjacens generationi finitæ, *non esse aliquando, & infertur generationi infinitæ. Sic: Esse genitum notat, quod aliquid desijt gigni. Filius Dei est genitus. E. desijt gigni, & consequenter in Deo est mutatio ab esse ad non esse.* Esse genitum *sumitur cum imperfectione, quam in creatis additam habet, quà actum præteriti temporis notat, & desitionem alicujus, quod aliquando factum est, infert.* In divinis *modum subsistendi in filio notat, remotis temporis præteriti vel futuri differentijs, quæ in divinis locum non habent.* Gigni *in divinis notat perfectionem viæ s. actus nascendi;* genitum esse *perfectionem termini s. rei*

geni-

genita. Cætera ut imperfectionem involventia à divinis sunt. removenda. Sic: *Verba adsignificant tempus. E. & gigni in divinis.* Major *sumitur cum imperfectione, quam verba in creatis rebus, & illis, quæ tempus habent, additam habent, & sic divinis applicatur.*

8. 3. Cum termini arguuntur Contradictorij ex istâ disciplinâ, quæ respectum terminorm materialem nec novit, nec proponit; *Adeoq; contradictionem in illis esse judicare nequit. E. g. cum arguitur in Theologiâ, Contradictoriũ esse, virginem manere & partum edere; corruptũ esse, & idẽ numero redire; productum esse, & ex nihilo productum esse; corpus vnum esse & in diversis locis simul cöexistere, generatũ esse ex eadem numero essentiâ cum altero, & tamen non jdẽ cum altero* ex Physicis: *vnam numero essentiam esse, & diversis realiter personis identificè substare* ex Metaphysicis, *inductione saltem rerum naturalium firmatis: Tres esse distinctas personas, quarum qualibet sit Deus summus, & tamen non esse tres Deos summos,* ex Logicis, *& quæ sunt similia.* Logicæ est, *explicare contradictionem* formaliter *& in actu signato: Sed* applicationem contradictionis *præceptorum & judicium de illâ materiale sumere oportet ab illâ disciplina, quæ objectum, in quo dicitur esse contradictio, considerat. Quæ in præsenti est Theologia.* V. d. 5. t. 9. *Sic malè contradictionem argues, esse productum mundum, & esse ex nihilo productum, quia cum scriniarius mensam producat, lignum, ex quo producat, habeat oportet. Nam an in isto objecto, mundum ex nihilo esse productum, vera sit contradictio, ex longè aliâ disciplinâ est judicandum, quàm in quâ de producendâ ex ligno mensâ præcipitur.*

4. Cum termini & propositiones rejiciuntur ex merâ negatione Theologicâ. *Vt, Materia prima non datur, nam Moses in Genesi ejus non meminit. Materia prima est objectum Physices; & negatur existentia diversa planè à Physicâ disci-*

disciplinæ, Theologiæ. Non datur quartum elementum, ignis, quia Moses in creatione rerum illud non describit. Non datur America, s. novus orbis occidentalis, quia scriptura in recensione terrarum & gentium post diluvium ejus non meminit. Gen. 10.

9. *Et hi ferè modi esse possunt, quibus saltus de genere disciplinæ in aliud genus vitiosus committitur, & fines disciplinarum illicitè confunduntur, non maximo cum fructu Theologica cum Philosophicis miscentur, ut de antiquis Scholasticis scribit* Scotus in 3. sent: d: 24. q: 1. *Extra hos modos nō est transitus illegitimus de genere in genus, cum ab unâ disciplinâ transimus ad aliam. Vt,* Cum principia scientiæ *subalternantis applicantur ad Conclusionem subalternatæ:* Cum *de toto probatum probatur de parte subjectâ sub toto* : Vel *â generalibus maximis probabilibus probabiliter arguitur ad materiam ex aliâ quidem disciplinâ desumptam, sub habitudine tamen probabilis argumentationis è generalibus Maximis deducendæ contentam, Vt cum ex Canone Topico ad materiam Theologicam arguimus:* Vel *res unius scientiæ declaratur terminis alterius scientiæ:*-Aut *objectum per diversa principia probandum demonstratur per diversarum disciplinarum principia, Vt cum Deum esse ex principijs & scripturæ & Naturæ probamus:* Aut *cum melioris intellectus gratiâ principia alterius disciplinæ ad probationem alicujus quæsiti in alterâ disciplinâ adducimus, ut cum Chirurgus vulnera orbicularia difficiliùs sanari ostendit ex principio Geometrico, quòd eorum extrema maximè distent. Et quæ hic similia esse possunt, in quibus saltus ex unâ disciplinâ in aliam minimè est vituperandus. Quæ latiùs persequentem Videas* Danhaver: jde. disp. s. 2. §. 94. 95. seq:

10. *Fuit inconsequentia materialis* Syllogismi necessarij: *Sequitur* probabilis, Vbi ex principijs probabilibus

 appa-

apparenter veris proceditur. *Vocatur talis inconsequentia vulgò* Elenchus Sophisticus. *Estq́ duplex*, Vel vocis, vel rei. Vocis, *cum asyllogistia ex vocabulis procedit.* Rei, *cum ex habitudine terminorum pro rebus subsumptorum citra dictionem oritur.* *Ex* voce *est* I. Cum termini ambigui vel phrases ex constructione ambiguæ confunduntur. *Vocatur vulgò fallacia* homonymiæ & amphiboliæ. Homonymiæ, *cum ex voce unâ vel pluribus ambiguis proceditur.* *Vt: Omne quod est in vase, est vinum. Color est in vase. E. color est vinum. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Fides, Sol, Deus, Philosophia, non sunt ex fide. E. peccata sunt.* Ambigua *est phrasis esse in vase, non esse ex fide. Sic: Quod non subsistit per se, non est substantia. Humanitas Christi non subsistit per se, nam in personâ Verbi subsistit. E. non est substantia.* Subsistere per se *ambiguè dicitur. Velut omnem dependentiam neget, vel ut à subjecto saltem inhærentiæ. Ita: Qui sunt duodecim præter octo, sunt quatuor. Viginti homines sunt duodecim præter octo. E. sunt quatuor.* τὸ præter *in* Majore *sumitur separativè & deminutivè, in* minore *extensivè & additivè, valetq́ idem ac ultra. Qui ex deo sunt, verbum Dei audiunt. Bruta, cœlum & terra sunt ex Deo. E. verbum Dei audiunt.* τὸ *ex Deo esse, in majore sumitur de speciali regeneratione, in minore de generali creatione.*

II. Amphiboliæ, *cum ex phrasi* ob constructionis diversitatem ambiguâ *vitiosè colligitur, quòd ea vel agendi vel patiendi ratione sumi possit, ut ut interdum voces à proprio significato non mutentur. In hoc specificam hujus Elenchi rationem consistere rectè observant* GutK.: p. 636. syn. Log; Socinus in elench. soph.: p: 17. *Et exempla ab Aristotele adducta* 1. elench.: c. 7. *docent. Aliàs* communiter *in eo ponitur, quod integra phrasis sit ambigua, ut in homonymiâ una dictio. Cum & phraseos ambiguitas rectè sub homonymiâ*

compræ-

comprahendatur, Vt alibi dicetur. Ita amphibolia est, si dicas: Certum est, vincere Diabolum verum Christianum. Sed qui vincit, est potentior alio. E. Diabolus est potentior vero Christiano. Quod quis videt, id videt. Lapidem quis videt. E. lapis videt. Est diversitas constructionis in phrasi, id videt; Quæ & nominandi & accusandi casu sumi potest. Major de accusandi sumitur, Conclusio de Nominandi casu infert. Famosè ad hunc Elenchum clasicum illud exemplum referri solet de responso Oraculi Crœso dato: Cræsus Halim penetrans magnam pervertet opum vim; *Vt ex Authoribus Logicis ferè omnibus patet. Sed reverâ exemplum istud pro hac amphiboliâ in specie, de quâ jam agitur, est alienum. Nisi valdè generaliter amphibolon dicas, quod est ambiguum, quomodo Cicero hoc exemplum amphibolian vocat, l. 2. d. diu:* §.116. *Sed ad descriptionem fallaciæ hujus modò traditam exemplum illud nequaquam pertinet Nec enim hic ambiguitas est ex constructionis varietate, Sed* vel *ex sensu vocis,* pervertet, *quæ aut activè notabit evertere, & ita dum Crœsus alienas opes evertere voluit, suas pervertit per accidens, & sic ad elenchum accidentis exemplum pertinebit: Aut ambiguè significabit & id, quod aliquis primò agere intendit; & id, quod per accidens ex actione alicujus consequitur. Sic ad homonymiam referetur.* Vel *ex desideratâ voce quadam ad vocem opum, quâ additâ intelligi possit, utrum suas, an alienas opes Crœsus sit perversurus. Ita ad* Ænigma *pertinebit exemplum. Ænigmata verò ad translationes vocum referuntur ab Aristot:* l. 3. Rhet. c. 2. 11. l. d. poet: c. 22. *Translationes verò vocum & figuræ dictionum ad.* Æquivocationem *pertinent.* Vel *deniq; ex ambiguo significato vocis opum, quæ & suas & alienas notare apta est.* KecKer: l. 3. s. 3. c. 1. Log: Flacium *amphibolias accusat, quod locum* Act. 3. v. 21. *reddiderit activè, Quem Christum oportet per cælos diffundi. Sed*

hujus loci constructionem variam esse, ut & activè & passivè possit exponi, rectè negârunt Theologi, ex toto contextu, scopo, circumstantijs & similium locorum explicationibus. Quidquid sit de tali loquendi modo extra contextum aliquem absolutè prolato, *Qui & activè & passivè verti possit. Quomodo* Martinio in Theol:p: 12 o 6. ZanaK. l. 3. c.I. M. f. 3. c. I. q. 4: *id fortè largiri possumus. Ita exempla à Martinio prolata,* Ioh. 10. v. 16. κἀκεῖνα μὲ δεῖ ἀγαγεῖν, & Act: 19. v. 21. δεῖ μὲ καὶ ῥώμην ἰδεῖν, *extra contextum duplicem constructionem admittunt: At ut in istis contextibus, istis circumstantijs, isto scopo, ponuntur, Qui vtroq; modo ea construi posse asserat, ei ego delirum sinciput esse credam. Nec adhuc ita solidè est evictum, Christum cœlo recipi & claudi, ut loco continente, ut ista verba,* Act. 3. v. 21. *necessariò passivè sint reddenda, adeoq; statim amphibolias postulandus sit, si quis ea activè respectu Christi explicuerit. De quo amplius videndum alibi.*

12. II. Cum voces disjungendæ conjunguntur, aut conjungendæ disjunguntur. *Vocatur vulgò Elenchus* compositionis & divisionis. Compositionis: *Vt, Quod Deus ab æterno voluit esse, id est ab æterno. Mundum Deus ab æterno voluit esse. E. mundus est ab æterno. In* Majore τό *ab æterno componitur cum voce esse, in* Minore *cum voce voluit. Fides sine operibus justificat. Fides sine operibus est res mortua. E. res mortua justificat.* τὸ sine operibus *in majore pertinet ad justificare, in minore ad fidem. Quod quis nunc scit, id didicit. Litteras quis nunc scit. E. litteras quis nunc didicit.* Τὸ *nunc cum voce,* scire, *tantùm componendum, & in conclusione etiam cum voce,* didicit, *componitur. Ad hunc modum hoc exemplum justè est proponendum, secus ac vulgò à Logicis formari solet. Quomodo nec menti* Aristotelis, *nec sufficienti fallaciarum compositionis & divisionis distinctioni respon-*

respondet. Possibile est omnem parietem esse album. Quidam paries est niger. E. Possibile est, quoddam nigrum esse album. Iustitia Dei damnat peccatores. Misericordia Dei est Iustitia Dei. E. Misericordia damnat peccatores. Minor *est vera in sensu diviso*, Conclusio *infert in composito. Petrus est malus, & est Medicus. E: est malus Medicus.* Divisionis *: cum voces coniungendæ disiunguntur: Vt, Vbi sunt duo & tria, ibi paria & imparia. Quinq; sunt duo & tria. E. quinq; sunt paria & imparia. Omnis Philosophus necessariò est doctus. Quoddam animal est Philosophus. E. quoddam animal necessariò est doctum. Quod tamen reverâ contingens.* Major *est vera compositè, & sumitur acsi divisè vera esset. Impossibile est peccatum veniale esse mortale. Peccatum renatorum est veniale. E. impossibile est peccatum renatorum esse mortale. Impossibile est peccatum actuale esse originale. In adultis est peccatum actuale. E. impossibile est in adultis esse originale.* Maior *in sensu composito est vera, posito, peccatum aliquod esse veniale, impossibile est, id esse mortale: posito, esse actuale, impossi: est, idem esse originale.* Minor *subsumitur in sensu diviso & absoluto.* KecK. c. l. *hanc inconsequentiam ad Amphibolian vocum compositarum & divisarum refert. Sed Amphibolia retinet eandem orationem s. propositionem*, v. t. II. *In hac v. inconsequentiâ mutatur oratio ex compositâ in divisam, aut vicissim. Vt benè observat* Cl. I. M. in h. l. p. p: 878. 885. *& debiliter infringit* ZanaK. p: 518.

13. III. Cum voces diversarum rationum ex similitudine quadam confunduntur. *Appellatur vulgò Elenchus prosodiæ & figuræ dictionis.* Prosodiæ, *ut cum accentus, toni, spiritus, pronunciandi modi, confunduntur, Vt: Hortus est terra arboribus consita. Sol hodie est ortus. E. Sol hodie est terra arboribus consita. Qui dicit Christo, tu es Rex Iudaeorum, is confitetur Christum Regem, Pilatus dicit Christo, tu*

sto, tu es Rex Iudæorum Ioh. 18. v. 37. *E. Pilatus Christum confitetur Regem. Qui optat damnari, & ex libro vitæ deleri, ille desperat. Moses & Paulus id optant.* Exod. 32. v. 32. Rom. 9. v. 3. *E. Moses & Paulus desperârunt. Deus dicit, si steterit Moses & Samuel coram me, non exaudiam eos de hoc populo.* Ierem. 15. v. 1. *E. Moses & Samuel orant pro populo Iudaico. Effugijs* Maldonati, Chavassij, Bellarmini, Becani, Valentiæ, Corn. à Lapide, Gaulterij, *aliorumq; in discursu occurretur.* KecK. l. 3. Lo. s. 3. c. 1. *nostros hujus Elenchi reos agit, quod cum morâ & emphasi loquendi pronuntient verba Eucharistica, Hoc est corp. meum. Eum benè redarguit* Cl. I. M. l. 3. c. Kec. s. 3. c. 1. Danhau. ide. disp. s. 2. §. 19. *& frigidè defendit* ZanaKius l. 3. s. 3. c. 1. q: 2. Figuræ dictionis, *cum similitudine vocum decipitur. Vt: Roborari est passivum. E. & operari. Et sic cum fides per charitatem operari dicitur, rectè explicatur passivè, operans redditur, cum* Pistorio. *Cum tamen* Bellar. l. 2. d. sacr. c. 1. *fateatur, contra regulam Grammaticæ operatum passivè reddi. Sed à se ipso abscedens, ipse* passivè *explicationem vocis format* l. 2. d. justif: c. 4. *Sic: placari est passivum. E. & promereri. Et sic* Hebr. 13. v. 16. *rectè passivè redditur, talibus hostijs promeretur Deus, i. e. merito acquiritur. Vt, contendit idem* c. l. d. Sacr. & l. 5. d. just. c. 2. *Verba in O desinentia sunt activa. E. & sitio, sto, decumbo &c. Qui rem facit, rei est author. Qui jacturam facit, rem facit. E. qui jacturam facit, ejus est author. Multa exempla huc referri possunt, ubi* habitudo prædicamentorum, *absoluti & connotativi, substantiæ & accidentium, confunditur. Vt: Quod quis loquitur, ex ore ejus procedit. Plaustra lignorum, catervas hominum, quis loquitur. E. illa ex ore ejus procedunt. Plura horum* dis. 7. t. 14. *sunt tradita.*

14. *Fuit Inconsequentia materialis* Topica *ex* dictione: *Se-*

ne: *Sequitur* ex re. *Ea fit* I. Cum essentialia rei cum iis, quæ per accedens accidunt, confunduntur. *Vocatur* Elenchus accidentis. *Vt: David fuit Deo carus. David fuit adulter & homicida. E. quidam adulter & homicida fuit Deo carus. Evangelij prædicatio excitat seditiones, turbas, & bella. E. non est in regnis ferenda. Philosophia est medium deprædandi homines, & ad commenta hominum à verbo relevato abducendi. E. non ferenda in bonâ Republ: Ita* Papistæ *argunt: Religionem Lutheranam insecutæ sunt infinitæ sectæ, schismata, & dissensiones in fide, seditiones item variæ, cruenta bella, & Turcarum adversus nos infestationes, E. non est legitima.* Bell. l. 4. d. not. Eccl. c. 10. Chavass. l. 3. d. not. rel. c. 1. §. 5. l. 4. c. 4. §. 5. *Varij sunt modi, quibus inconsequentia hæc contingit.* Cum *accidens prædicabile cum essentialibus confunditur. Vt: Caro Adami est peccatrix. Caro Christi est Caro Adami. E. est peccatrix. Caro Mariæ fuit peccatrix. Caro Christi non fuit peccatrix. E. caro Christi non fuit Mariæ.* Cum *suppositiones vocum mutantur. Vt: Deus creavit mundum. Deus est vox bisyllaba. E. Vox bisyllaba creavit mundum.* Cum *genera prædicationum mutantur, præmissæ tropicæ & propriæ confunduntur, de quibus dictum* d. 7. t. 21. Cum *Cohæsiones prædicamentorum contingentes adducuntur, & inde ipsa prædicata subjecto cohærere putantur, Vt, Homo est verax. Homo est mendax. E. Mendax est verax.* Cum *ab affirmato prædicato ad affirmandum subjectum proceditur. Vt, Homo est substantia. Deus est substantia. E. Homo est Deus:* aut *à negato isto ad negandum hoc, Vt, Vivum esse est proprietas animati corporis. Homo non est proprietas animati corporis. E. Homo non est vivus.* Cum *ab affirmato subjecto ad affirmandum prædicatum, ut: Animal est genus hominis. Petrus est animal. E. Petrus est genus hominis:* Vel *negato isto ad negandum hoc proceditur; Vt: Angelus est substantia in-*

 telli-

telligens. Homo non est Angelus. E. Homo non est substantia intelligens. De his modis Vid. Dn. Scheib. d. Syll. c. 17. n. 41. 42.

15. II. Cum determinatè & quadantenus vera accipiuntur ut absolutè vera. *Vocatur Elenchus* à dicto secundum Quid *ad dictum simpliciter. Tale est hoc Papisticum: Per quodcunq; aliquid operatur, id ipsi est causa vel formalis vel instrumentalis. Fides operatur per charitatem.* Gal. 5. v. 6. *E. Charitas ipsi est causa vel formalis, & sic formabitur caritate, quod contendunt Papistæ: vel instrumentalis, & sic in justificando operabitur per caritatem, ut instrumentum, sicq; non solitaria erit in isto opere, quod nos aliàs contendimus.* Major *est vero* πῶς, *& accipitur* ἁπλῶς. *Per quod aliquid operatur, sc. in* genere Causæ agentis, *id ipsi vel est forma vel instrumentum, non autem* in genere signi ostendentis. *Sic & per effectus, indicia, notas, &c. operamur. Sic fides per caritatem operatur, non in genere causæ, non enim caritas est causa operandi in fide, sed fides est causa producens de se caritatem, ut effectum: At nulla causa operatur per suum effectum in genere Causæ: Sed* in genere signi & jndicij, *ut per eam testetur, se esse vivam & veram. Sic operatur per caritatem, i. e. exserit se. Ut arbor per poma, pyra, fructus, operatur, non causativè, sunt enim fructus causata arboris, non causæ; sed significativè & ostensivè, arbor exserit suam bonitatem per fructus, & testatur se esse vivam, integram, non corruptam. Sic homo operatur per motum & agilitatem, indicativè & probativè, se esse sanum: non causativè, quasi motus causa sanitatis esset, cum sit ejus signum & effectum consequens. Alias responsiones quæ hic dari possunt, prætereo.*

16. *Idem Elenchus est* in hoc *eorundem: Qui petit castitem, petit secundum voluntatem divinam, adeoq; exauditionis est certus. Qui petit continentiam perpetuam, petit castitatem*

tatem. E. Qui petit continentiam perpetuam, petit secundum voluntatem divinam, adeoq́ exauditionis est certus. Major *est vera secundum Quid, nempe; Qui petit castitatem sc.* generalem, *omnibus competentem & promissam, is petit secundum voluntatem divinam, Adeoq́ exaudietur. Non verò, qui petit castitatem quamcunq́, etiam* specialem, *& prorsus* singularem, *quam nec omnes capiunt, nec cujus donum omnes habent, adeoq́ nec omnibus petentibus promissa esse potest, Qualis est continentia perpetua.* Matt. 19. v. 11. 1. Cor: 7. v. 7. *nisi vbi se probaverit homo, adeoq́ capacem esse senserit. Tùm enim ut peculiare donum, cujus se capacem videt, petere potest. Secus non. Perinde ac si sic arguas: Qui petit virtutem, petit secundum voluntatem divinam, & consequenter exaudietur. Qui petit fortitudinem aut eruditionem heroicam, petit virtutem. Ergò.* Major *loquitur de virtute* generali *& omnibus competente*, Minor *subsumit virtutem* prorsus singularem, *quam nec omnibus Deus promisit, nec omnibus dare vult, nec omnes ad eam suscipiendam aptos reddidit. Adeoq́ si illam quicunq́ Cerdo petat, quem Deus ad eam non habilem reddidit, non petit secundum voluntatem divinam, tali enim eam Deus dare non vult, adeoq́ non exaudietur, caret enim promissione omnibus generaliter datâ. Sic eodem elencho luditur, cum arguitur: Qui veniunt ad Christum, debent odisse parentes, liberos, & bona cætera.* Luc. 14. v. 26. *E. qui in statu perfectionis esse volunt, debent deserere parentes, cognatos & bona sua, & aliò migrare. Et sic rectè Monachi id facientes agunt.* Antecedens *comparatè accipiendum, non absolutè. Qui ad Christum venit, non debet magis amare parentes aut liberos, quàm Christum, ut explicatur* Matt: 10. v. 37. *non autem planè deserere aut respuere, nisi peculiari modo vocetur, ut Apostoli,* Matt: 4. v. 20. 22.

17. *Similis farinæ est iste Photinianorum, cujus meminit* Cl:

nit Cl. D. Graver. præf: lib. d. vii. ver: *Prædicatum purè necessarium nullâ limitatione negatur de subjecto. Deum esse vnum est prædicatum purè necessarium. E. nullâ limitatione negatur de subjecto, & consequenter nullo respectu potest dici trinus, i. e. non vnus.* Major *secundum quid est vera: Prædicatum purè necessarium nullâ limitatione negatur de subjecto,* scilicet *secundum eam rationem, quâ est necessarium. Ita Deus est vnus* quà essentiam. *Hac ratione, vnum esse, nullo respectu de eo negari potest, nisi contradictio admittatur. At aliâ ratione,* secundum subsistentiam, *omninò tale prædicatum citra contradictionem negari potest. Quod vberius alibi deducendum. Huc pertinent* & hæc exempla: *Om. generabile est etiam corruptibile. Filius Adæ in integritate non fuit corruptibilis. E. nec fuit generabilis.* Major *de corruptibilitate remotâ in naturâ absolutè & solitariè in se spectatâ, loquitur, sed quæ variè impediri potest aliis accedentibus.* Minor *intelligitur de corruptibilitate proximâ, & in naturâ complexè cum eximiis donis, ut imagine Dei, perfectione summâ omnium virium, creatâ. Qui Lutheranam Ecclesiam dicit Ecclesiam, verum dicit. Qui dicit eam Ecclesiam hæreticam & malignantium, dicit eam Ecclesiam. E. qui eam dicit Ecclesiam hæreticam, verum dicit. Qui Papam dicit hominem, verum dicit. Qui generalem Christi in terris vicarium eum dicit, dicit hominem. E. qui generalem in terris vicarium dicit, verum dicit. Omne ens est verum. Om. propositio, etiam impossibilis, est ens. E. Om. propositio, etiam impossibilis, est vera. Qui vult animam servare, perdet eam. Æger medicum implorans vult animam servare. E. perdet eam. Satanas foràs ejicietur & ligabitur.* Ioh. 12. v. 31. Apoc. 20. v. 3. *E. nequit amplius tentare & seducere Christianos.* Dantur interdum modi, *à quibus determinatè intellectis licet ad absolutum esse citra sophisticam inferre, Quos deductos V. ap.*

Danhau.

Danhau. c. l. §. 22. *Quidam & fallaciam accidentis in his & similibus esse dicunt, de quo* V. Stengel. d. Syllog. p. 1. §. 51.

18. III. Cum oppugnantur ea, quæ non sunt in quæstione, & aberratur à scopo propositorum. *Vocatur vulgò* Ignoratio Elenchi. *Vt: Ex scripturæ codice perierunt complures libri. E. non est hodie perfecta.* Bella. l. 4. d. V. Dei. c. 4. *Non probatur id, quod probari debet. Probandum, quà dogmata salutis & mores virtutum, esse imperfectam scripturam: & probatur, quà molem & numerum librorum hodie esse imperfectam. Quicquid fide Catholicâ credendum, est revelatum in scripturâ. Evangelium Matthæi esse Mathæi non est revelatum in scripturâ. E. Evangelium Matthæi esse Mathæi non est Catholicâ fide credendum. Non concluditur, quod est in quæstione. Evangelium Matthæi esse Matthæi* ad historiam N. T. pertinet, *& tanquam historicum quid ex fide Annalium & historiæ Ecclesiasticæ pendens creditur, non tanquam proprius & specialis articulus fidei Catholicæ, & sic fide historicâ & humanâ creditur, non divinâ & Catholicâ. Sic: Amici Regis & principis sunt honorandi. Sed sancti defuncti sunt amici ipsius Dei. E: sunt maximè honorandi. Non quæritur, an sint honorandi; Sed an religiosè invocandi, ut mediatores, intercessores, & datores beneficiorum. Quidam hanc inconsequentiam & tùm fieri ajunt, cum etiam in vno Syllogismo seorsim, non habito respectu ad thesin oppositam, termini Contradictorij non rectè inferuntur. Vt: Philosophus eruditè disputat, & non necessariò disputat, E. disputat simul & non disputat. Christus est æternus, ut Deus, & non est æternus, ut homo. E. simùl est æternus & non æternus. Hoc toties fiet, quoties leges bonæ oppositionis violabuntur. De eo Vide* Dn. Schei. d. Syll. c. 17. n. 53. Danhau. c. l. §. 23. Cl. I. Mart. l. 7. instit. Log. c. 5. KecKermannus c. l. c. 2. *hunc Elenchum eundem cum* ἑξερο

τηλής,

ζητεῖ facit. *Et frequenter cum illâ junctus est; Quandoq; tamen citra eam esse potest. Vt cum* ἀσύστατα *confunduntur, & contraria non iustè inferuntur. Vt: Qui oculos habet, videt. Qui dormit, oculos habet, & non videt. E. qui dormit, videt & non videt. Ratio respectuum confunditur, non aliena quæstio infertur. Latior ergò ignoratio Elenchi eteroZetesi. Nec video, Cur id neget* ZanaK. c.1. c.2. q.2.

19. IV. Cum probatur dubium per æquè dubium ei, cum quo disceptatur. *Vocatur vulgò* Petitio Principij. *Vt : Ecclesiæ authoritas est major scripturâ. E. potest illa statuere de Canone Scripturæ. Antecedens nobis æquè dubium ac consequens. Petro commissa fuit cura universæ Ecclesiæ.* Matt. 16. v. 18. 19. Ioh. 21. v. 15. *E. Vni homini, ut Papæ Romano, potest eadem committi. Papæ dictum, Tu es Petrus, &c. E. est infallibilis in judicandâ fide & audiendus. Antecedens est æquè dubium, an locis istis probetur, ac consequens. Papa jure possidet Italiam, & exarchatum Ravennæ, quia Constantinus M. illa ei dono dedit. Vnum numero corpus nequit esse simùl nisi in vno numero loco, etiam per potentiam divinam. E. & corpus Christi non nisi in vno loco simùl esse potest.* Antecedens *apud nos æquè controversum, ac* consequens. *Sic petitio principij erit, si quis apud infidelem scripturam negantem arguat: Scriptura est ipsum Dei verbum. E. omnes articuli, quos illa docet, infallibiliter sunt credendi, ut Trinitas, creatio ex nihilo, mortuorum resurrectio. Antecedens ipse æquè negabit ac consequens.* Quidam *varios modos hujus Elenchi faciunt, quos videas* ap. KecK: c. l. c.2. Cl. I. M. l.7. inst. c.5. Dn. Scheibl. c.l. n.56. Fonsec. l. 8. Dial. c.13. Danhau. c. l. §. 24. Quidam *nonnullos illorum repræhendunt, ut* Cl. I. M. c. KecK. p: 897. *Si res legitimis respectibus determinetur, ut semper subintelligatur* habitudo ejus, *ad quem probare intendas, qui vel neget, vel dubium habeat aliquod ex allatis, &* habitudo ter-

mini

mini vel quæsiti probandi sensu convenientis cum eo, *qui probare debet, possunt concedi isti modi, ut ostendunt* Danhau. c. l. Fonsec. c. l. ZanaK: c. l. p. 527. *Adeoq; semper erit circulus & quæsiti petitio, si ex definitione probes definitum, causam ex effectu, vel effectum ex causâ, proprium ex subjecto, vel contrà, apud eum, qui utrumq; negat vel dubium habet.*

20. V. Cum aliquid ut consequens materiale elicitur ex alio ut antecedente, Quod ex eo reverâ non sequitur. *Dicitur vulgò* fallacia consequentis. Generaliter *in omni asyllogistiâ est, & formali, & materiali:* Specialiter *inter Elenchos materiales adducitur, quia* & frequens *in disceptationibus est,* & cautè *ex habitudinibus materiæ, de quâ disceptatur, animadvertenda. Ita* Vorstius *tali Elencho ludit* not. ad dis: 3. th. 7. p: 202. *Si æternitas cöexistit omnibus temporum differentijs, ergò omnes temporum differentiæ sunt simùl, cöexistere enim debent æternitati. Sic præsens erit præteritum, futurum, & contrà. Non sequitur. Æternitas cöexistit differentijs temporum,* non coëxistentibus & *simùl unâ vice præsentibus,* sed fluentibus & succedentibus *: præterito, ut præteritum, præsenti ut præsens, futuro ut futurum est. Hoc tantùm sequitur, E. æternitas, quæ coëxistit differentijs temporum, est tota simùl, Quod verum. Est enim perpetuum nunc permanens. Sic: Christus frequenter versatus est cum publicanis & peccatoribus. E. & ipse peccator fuit. Si, qui Christum non confitentur, Christiani non sunt. E. qui confitentur, sunt Christiani. Si qui bipedes non sunt, non sunt homines, E. qui bipedes sunt, sunt homines. Si ij qui loquuntur, sunt homines E. ij qui non loquuntur, non sunt homines, ut muti, infantes, dormientes. Si mundus est generatus, incepit esse. E. Si non est generatus, non incepit esse. Si filius Dei non fuit, antequam gigneretur, E. fuit tempus, quo non fuit, & sic non est essentialis Deus. Si optima regiminis forma est Monarchica, E. Ecclesi-*

clesia militans in terris debet gubernari Monarchicè. Si humanitas Christi est extra hypostasin Patris & Sp: S. Ergò est extra Trinitatem. Consequens in his non verè sequitur ex antecedente. Stengel. p: 1. d. Syll. §. 51. *ad hunc Elenchum & hoc refert: Qui dicit te furem, falsum dicit. Qui dicit te furem, dicit te hominem. E. Qui dicit te hominem, falsum dicit. Sic ad* Papistarum *mentem arguas: Qui dicit Scripturam obscuram, falsum dicit, sc. ex nostrâ mente. Qui dicit scripturam obscuram, dicit eam Verbum Dei revelatum. E. qui dicit scripturam Verbum Dei revelatum, falsum dicit. Ad eam formam* Photinianus *arguat: Qui dicit Adamum in integritate fuisse mortalem, falsum dicit ex nostrâ mente. Qui dicit eum in integritate mortalem, dicit eum fuisse hominem. E. qui dicit Adamum fuisse hominem, falsum dicit. Est elenchus consequentis, cum in vnâ propositione termini sunt contingenter nexi,* V. D. schei. c. l. n. 59. *Vt hic sunt in minore. Contingenter nexa sunt, esse furem & esse hominem; esse obscurum & verbum Dei revelatum; esse mortalem & esse hominem, &c. Modos hujus Elenchi speciales deducit* Cl. J. Mar. c. l. Dn. scheibl. c. l. n. 58. seq:

21. VI. Cum aliquid pro causâ adducitur, quod vera causa non est. *Appellatur vulgò Elenchus causæ. De quâ appellatione ob Photinianos monui* dis. 15. Log: th. 15. *Et largitur* Socinus in Elen. Soph: p. 24. 25. *solere nos amphibolian, æquivocationem, brevitatis gratiâ dicere pro eo, quod fallacia ex amphiboliâ, æquivocatione orta, dicendum esset. Cur non in simili Elenchus causæ, pro Elenchus ex eo ortus, quod falsa causa adducta sit, dicatur. Et hoc modo generaliter definiri Elenchum causæ ex hodierno Logicorum recepto vsu esse dixi, ut maximè aliqua hic diversitas à mente Aristotelis intercurrat. Tali Elencho vtitur* Bell: l. 4. d. not. Eccl. c. 17. *Calvinus, Cinglius, Oecolampadius, infelici morte functi sunt, quia*

Papa-

Papatui reclamârunt. Non causa est infelicis mortis, quod Papatui se opposuerint, sed quod Evangelicæ veritati in quibusdam reclamaverint. Sic Idem l. 3. d. V. D. c: 1. *Scripturæ non intelliguntur ab omnibus, David & alÿ petunt sibi illuminari oculos. E. sunt obscuræ. Est falsa causa. Non ideò obscuræ, sed sublimes: & intellectus hominis est obscurus. Perinde acsi dicas: Solis lumen non videtur ab omnibus, ut cæcis, dormientibus, lippientibus, vespertilionibus. E. est obscurum. Sic: Scripturæ egent explicationibus & commentationibus. E. sunt obscuræ. Non scripturæ obscuritatem, sed nostram cæcitatem ista arguunt.*

22. VII. Cum diverſa & aliena quæſita confunduntur in vnum. *Appellatur* Elenchus plurium interrogationum, *quod Veteribus dialogisticâ formâ disserendi utplurimùm vtentibus in quæstionibus sæpè occurreret. Vt: Quando desÿsti patrem cædere? Potest tamen &* Syllogisticè *proponi. Vt: Cultus in Ecclesiâ sine Dei mandato institutus est falsus. Invocatio sanctorum & trinitatis est talis cultus. E. est falsus. Conclusio commiscet diversa quæsita de trinitate & invocatione sanctorum, quæ distinctè decidenda sunt. Sic: Furta & orationes vel sunt bona vel mala: Si bona, E. & furta sunt bona. Si mala, E. & orationes sunt malæ. Confunduntur* diverſa themata, *quæ distinctè sunt resolvenda.* KecK. c. l. c. 2. hunc Elenchum Concluſionis vocat, & *eundem à nobis committi ait, cum arguimus: Quod est Sacramentaliter vnitum cum pane Cœnæ, id manducatur, si non modo naturali, tamen supernaturali. Corpus Christi est Sacramentaliter vnitum cum pane. Ergò. &c. In Conclusione confundi duas quæstiones, An manducetur Corpus Christi, & quomodo? R. 1.* ſi *hic talis Elenchus est, non tàm in Conclusione, quàm præmisßis ostendendus erit. Conclusio, ut effectum præmissarum non habet vitium, nisi ab præmisßis ei sit communi-*

municatum. Prædicatum majoris duo quæsita conjungeret, atq́ inde vitium in Conclusionem manaret.

23. *Regerit* ZanaK. c.l. c.2. q: 1. & 2. posse *conclusionem ex alio habere vitium, & tamen vitium circa conclusionem primò versari, adeoq́ fallaciam Conclusionis dici. Sic aër à Sole habet calorem, & tamen calor primò versatur circa aërem.* 2. Posse *vitium in præmissis commodè occultari, & conclusioni inferri. Sic erit fallacia in Conclusione citra præmissas. R. I. si inde fallacia Conclusionis dicenda, quod primò citra eam ut subjectum illa versetur, tùm omnis fallacia erit conclusionis, omnis enim in Conclusione, ut totâ inferendi ratione, profertur. Sic nulla erit fallacia præmissarum, quæ tamen distinctè ponitur à KecKermanno. Parum ergò ad rem facit subjectum, in quo fraus infertur. Rectiùs nominatur à causâ, vnde falsitas manat, Quæ sunt* præmissæ. *Et sic totus Syllogismus & præmissis & conclusione aggregatus fallaciâ laborare dicitur. Sic etsi calor solis aut frigus primò circa aërem ut subjectum versetur, nemo tamen peculiari divisione aërem hinc denominat alium caloris, alium frigoris, sed accidentaliter saltem dividitur aër in calidum & frigidum: Idem de hac divisione fallaciarum habendum.* 2. *Si vitium dissimulatur in præmissis, & adijcitur conclusioni, jam plus est in Conclusione, quàm præmissa permittunt, & sic vitium formale in Syllogismo committitur, vnde totus reijcitur; non peculiaris fallacia materialis, quæ in conclusione præcisè stabuletur, vnde Elenchus aliquis distinctè Conclusionis dici debeat, quòd specialiter circa conclusionem versetur.*

24. 2. In *adducto exemplo non est talis Elenchus.* Aliud *est, quæstiones legitimè conjungere:* aliud *confundere. Possumus sine vitio duo conjunctim in Syllogismo ut vnum proponere, ut Elenchum plurium quæstionum non commitra-*

mittamus. Sic: Om. homo est rationalis & docilis. Petrus est homo. E. est rationalis & docilis. Om. renatus crucifigit carnem & concupiscentias ejus. Paulus Apost: est renatus. Ergò. Sic Adversarij non dicent plura quæsita illegitimè confundi, si dicam: Om. corpus naturale naturaliter est in loco & tempore. Corpus Christi est corpus naturale. E. Corpus Christi naturaliter est in loco & tempore. Om. corpus sublunare est in loco externo & interno. Corpus humanum est Corpus sublunare. E. est in loco & externo & interno. Duo conjunctim in prædicato copulantur, & pro vno quæsito vnum terminum compositum constituente habentur, non diversæ quæstiones illegitimè confunduntur. Sic & in isto exemplo manducatio & modus manducationis pro vno termino composito habentur, non diversis quæstionibus confusis. Sic apertis exemplis *ostenditur, posse duo citra fallaciam conjungi: non nudis negationibus KecK. probatio rejicitur, aut vitium virtus dicitur, si quæstiones quædam conjungi dicuntur, Vt* ZanaK. c. l. reponit. *3. Non est quæstio inter nos & Adversarios, an manducetur in Cœnâ corpus Christi, hoc enim ab vtraq; parte conceditur, ut ipsi subinde inculcant in Controversijs de Cœnâ inter nos agitatis: sed de modo manducationis, an vno indiviso actu mediante pane corpus Christi Sacramentaliter ore manducetur? Totum argumentum* ad hunc modum *intendit, & sic injuriâ πολυζητήσεως accusatur. Alterum enim hic pro peculiari quæstione adduci non potest, quia non est in quæstione, sed concessum.*

25. Ita & inconsequentia materialis Topica *fuit: Subjungendum jam aliquid esset* de inconsequentiâ Testimonij, *quæ peculiariter à quibusdam adducitur*; V. Polan. l. 2. Log. p: 263. 264. Alsted: l. 9. Lo. har: c. 7. Dusam l. 2. Log. Socr; c. 32. *Sed ea plerumq; cæteris fallacijs*

inferri potest, ut Consequentis, accidentis, Causæ, Ignorationis Elenchi, aut similibus, ut rectè monstrat Cl. I. M. l. 7. jnst. Log. c. 5. *Item* De inconsequentiâ imperfectarum argumentationum, *ut Syllog: compositi, Enthymematis, inductionis, Soritis, &c. Hæc partim ex fallacijs perfectorum Syllogismorum constant: partim ex regulis de quavis specie imperfectæ argumentationis propositis sumi possunt: specialiter ista deducta vide ap:* Polan: c. l. p: 318. 319. Alsted. c. l. c. 12. Dusam c. l. l. 4. c. 11. ex parte Sonleutn. p. 2. Dial. p. 27. 28. *De asyllogistiâ* insolubilium, *ut vocant, etiam aliquid monendum esset. Quæ ita dicta Veteribus,* quòd solutionem vix admittere *viderentur. Multæ eorum species sic vocatæ, quædam latiùs, aliæ strictiùs. Inter reliquas eminent* propositiones, seipsas *ut vocant,* falsificantes; *Vt,* David *dicit, Om. homo est mendax, & dum id dicit, ipse est homo, E. & in illo est mendax.* Epimenides *dicit, Cretenses semper esse mendaces, & ipse, dum id dicit, est* Cretensis, *E. & in illo ipso mentitur. Proximum tuum dictum erit verum, & dicis te mentiri, E. tuum mentiri erit verum.* Quid *ad hæc & similia solvenda proferri queat, apponendum esset: Sed quia excrevitt ractatorum materia, hic subsistendum ducimus. Aliquid horum videas ap:* Stengel: p: 2. d. Syll: §. 14. 15. Danhau. ide. disp: f. 3. §. 34. 35.

Additamenta.

Adamum in statu integritatis omnium hominum, præter *Christum,* Sapientissimum statuere non inconveniens est.

Eundem in eodem statu per naturam præcisè spectatam fuisse mortalem, & per eandem connotativè sumptam fuisse immortalem nec principijs Philosophicis, nec Theologicis contravenit.

Numerum imparem esse parem non incredibile est.